



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús María>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XIV. Monet studium, & amorem sacræ scripturæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)

CAP. XIV.

*Monet studium, & amorem sacræ
scripturæ.*

DO LEO vicem sapientum mundi,
O filij mei, quia tanquam multa
febre phrenetici, ut sitim sciendi ex-
pleant, plurimas hominum doctrinas
cum labore, & anxietate discunt, &
sanctos, castosque libros meos, solatio
habere nolunt. Colūt terram sterilem
spinas, & tribulos germinantem, vnde
alienatio intentis, & stimuli conscienc-
tiæ nascuntur, & paradisum Eden, vbi
crescit arbor scientiæ boni, & mali, &
lignum vitæ consurgit, suauissima cul-
tura operari, & custodire non curant.
Quid sibi vult amentia hæc? Quid quæ-
runt imitatores Cain profugi, & vagi
in terra aliena? Currunt, atque discur-
runt, per humanas disciplinas, & e-
uoluunt multa volumina, in quibus
nulla fit mentio mei, quasi non audie-
rint Iesum Christum Dei virtutem,
& sapientiam esse, & scriptura san-
cta spiritum vitæ contineri. Mirum
est hoc,

ea,
er-
ni-
no-
ri-
les
ilij
ia,
in
re-
ab
ien
e-
em,
um,
un-
um
cate
, x-
uas
ero.
atia
ora-
spi-
lmę
nui-
ebo
A.P.

est hoc, homines christianos, qui nouerunt, ubi sapientia inueniatur, & quis sit locus intelligentiae, scholam meam deserere, quam Reges, & Prophetæ cupierunt. Vos autem filij, qui de spiritu vitali meo viuere, & tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, fructum in tempore suo reddere desideratis, miti corde legite, & meditamini fidelia testimonia mea; quorum declaratio intellectum dat paruulis, & simplicibus, cum quibus est secreta sermocinatio mea. Querite suppliciter, & inuenietis: pulsate constanter, & aperietur vobis sensus ad capienda melle dulciora, & mundo altiora eloquia mea. Postulate in fide, nihil hesitantes de infinita bonitate, & suavitate mea. Clamate ad me, & exaudiām vos, & ostendam vobis grandia, & firma, quæ ignoratis; replebitque scientia mea pectora vestra; Et apparet vobis formosissima lux ē Cælo, qua suspendemini admirantes altissimam sapientiam castitate, & simplicitate sermonis mei velatam, ut mundis corde, & humilibus reueletur. Ingredie-

mini

mini in absconditos sensus spiritus
mei, qui scrutatur profunda Dei: & e-
grediemini pinguiores, quam antea, à
pascuis dulcissimæ sapientiæ; quam è
puteo alto mei cordis haurietis.

CAP. XV.

*Hortatur ad quærendum magi-
strum vitæ spiritualis.*

NE ianitamini prudentiæ vestræ
filij, quamuis multa didiceritis:
Sed imitamini sponsam meam innix-
am super dilectum suum. Multos sedu-
xit nimia æstimatio sui, ita ut altum
saperent, nec dignarentur senum, &
expertorum iudicium sequi. Iusti ve-
rò, & mites corde nihil sibi fidentes,
multa sollicitudine quærunt magi-
stros, non prurientes auribus, sed qui
vel corripiant, & increpant in miseri-
cordia, vel instruant in spiritu lenita-
tis, iuxta regulas absconditæ sapientiæ
meæ, quam omnes de se præsumentes
ignorant. Propter hoc filij, qui erratis
ab utero, ne placeatis vobis ipsis, in ea
scientia, quam in scholis fortasse com-
parastis: sed statim, ac mihi seruire in-
cipitis.